



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXVI. Iudicia Dei in matrimonij, etiam recentioribus,
prouidentiſsimè, conciliandis ac locupletandis, præsertim si non opes, sed
virtus aspiciatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

nz prouidentiae, quæ non solum ad pedem, sed ad calceum quoque se extendit.

C A P V T XXVI.

Indicia Dei, in matrimony's, etiam recentioribus, prouidentissime conciliandis, ac locupletandis, præsertim si, non opes, sed virtus aspiciatur.

Non imminuta est, post veteres illas prouidentias, cura Dei, circa conjugia: quia adhuc diutius, generis humani propagatione, conseruare voluit Mundum ac gubernare; & idem est hodie, qui fuit heri, & nudius tertius. Quamobrem quotidie etiamnum sapientem potentiam suam perspicue demonstrat, in matrimonijs concinnandis. Atque in primis à nemine, quantumuis potente, siue inuido, siue æmulo aut rivali, destinationem egregiæ sponsæ posse impediri, luce meridianâ clarius docet admirabilis historia Henrici, in Imperatoris generum, caelesti voce, designati, atque, per grauissima discrimina, tandem ad illud dignitatis culmen euertri, quam, alio loco, recitauimus. In summa, si Deus vult, *Mopso Nisa datur, rumpantur licet ceteri Corydones.* Et potest D E V S dispare pulcherrimo mixturæ artificio componere. Quod vel in fabula est adumbratum. Iuppiter cum Mercurio iter habebat, per agros; & quasi viæ ignarus, quærebat ab ignavo aratore, quæ eundū esset? Ibi arator, quem tædebat loqui, vix sublato pede semitam ostendit. Paululum processerat, cùm ad ancillam venerunt gnauiter rusticantem; quæ itidem interrogata, de recto itinere, id non modò promptè ostendit, sed etiam ad multum viæ officiosè comitata est euntes, ne errare possent. Itaque Mercurius à Ioue poposcit, ut tam benevolæ mulieri gratiam redderet. Iuppiter, manu ad frontem admotâ, quasi consilium inde euocaret, paulò post seruum illum ignavum ancillæ in maritum destinavit. Offensus hoc judicio Mercurius, caussam periuit sententiæ tam inexpectatæ; cùm & arator tali sponsa indignus videretur; & aratrix vtique maritum gnauiorem meruisse. Ei respondit Iuppiter, se, hoc pacto,

vtrique parti consuluisse. Hac enim socia, & illum excitatum iri; &c, hoc marito, istam non futuram insolentem. Sic nimirum sepe dissimiles conuenire solent, vt vxor viro sit pro industria stimulo: & vir vxori pro modestia frano.

II.

Porrò in matrimonij, si, non quid spectari soleat, sed quid spectari debeat proponamus, mores vtique sunt diuersi anteferendi. Apud improvidos, apud quos *Virtus post aurum sequitur*, quæcunque bene dotata est, bene est & morata. Itaque opulenta eligitur, quæ, vno anno, dotem omnem, patrimonium omne in superbias vestium impendit; cum sponsa inops, sed bene morata atque laboribus assuefacta facile peculium industria collegisset. Diuina ergo æquitas, cum videt potius animi, quam marsupij dotes queri, non raro utrumque confert: sicut utrumque subducit, quando pecunia magis desideratur, quam sponsa.

III.
S. Damascen.
in histor. de
reb. gestis SS.
Iosaphat &
Barlaam c. 16.

Narrat D. Damascenus, ditissimos parentes filium habuisse, cui ut pares nuptias apparent, nobilissimi item a tque di-
tissimi viri filiam nuptui dare statuerant, quæ forma supra
omnes alias satraparum nymphas excellebat, Nimurum to-
tum matrimonij consilium erant *Genius & Venus*. Quod ubi-
stissimus agi adolescens intellectus, non tantum nuptijs, sed etiam lare, sed patre & patrimonio relictis, clam profugit. In fuga, ex æstu, diuertit in pauperis cuiusdam senecionis ædi-
cian. Ibi, præ foribus, sedebat ad colum virgo senis vni-
ta, quæ summis digitis fila deducens fusum torserat, atque
cantando laborem, diuinis laudibus celebrandis, solabatur.
Erat autem carmen, quo Numini, pro beneficijs, gratiae ag-
bantur. Hoc in tali loco argumentum admiratus iuuenis ait:
Quodnam est istud tuum, ô Virgo, studium? aut cuius rei gratia,
ad eo inops, quasi pro magnis divinitatis, laudas rerum Conditoris?
Cui illa: *Nescis, ait, ô hosties, quisquis es, quemadmodum exqua-*
sæpe medicina magnos pellit morbos; ita etiam, in paruis Dei donis,
gratiarum actionem magnorum fieri auctoritem bonorum? Ego quidem
filia sum senis pauperis, gratias tamen refero, pro modicis illis
donis, & benedico Dominum, certa, quoniam qui haec contulit, &
maiora valet dare: & ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, &

nostra non sunt. Ex quibus neque multa possidentibus lucrum ali-
quod prouenit; ut non dicam, quod & sapientum damnum sustinent.
Neque minora accipientibus accidit detrimentum, eandem utrinque
viam pergentibus, & ad eundem peruenientibus finem. Eorum vero,
que magis sunt necessaria, & perfectissima, multa & maxima accepi
DEI dona, qua innumerabilia & inestimabilia sunt. Nam secun-
dum imaginem DEI facta sum; & ipsius notitiam habere merui; &
ratione, praे omnibus animalibus, sum predita; & ab ipso DEO in-
uitata sum ad vitam, per viscera misericordia eius: cuius & mysterij
particeps esse promerui; & Paradisi ianua aperta est, facile, si volue-
ro, introitum mihi prabitura. Pro tantis igitur aetatis donis; qua
indifferenter dantes percipiunt. & pauperes, ut dignum est, gratiam
agere penitus est impossibile. Si tamen & modicam istam laudationem
largitori honorum non obtulero, qualem excusationem habebo? Huc
usque alioqui paucorum verborum, sed in rebus diuinis facun-
dissima puella de Deo disseruit, iuuenemque ingenij acumine
& rerum cælestium prudentia adeo in stuporem atque admira-
tionem dedit, ut etiam in amore suum raperet. Quamobrem
accersito ad se patri eius foras dixit: *Dum fugio uxorem, uxo-
rem acceptam pro iuvisa mibi offert benignum Numen, filiam eni-
tam in coniugium peto, cuius me indoles, vis intelligendi, & pietas
non genarum, sed morum uenustate cepit.* Erat iuuenis seni de pa-
rentibus norus, quare Nequaquam istud fas est, ait senex: Di-
uitum pauperumque filij & filiæ incongruè coniugium consti-
tuunt. Cui iuuenis, Enim uero diuitem fugi, pauperem volo,
quia satius est ducere piam, quam opulentam. Vnica est, ait
senex, non possum eam à me dimittere, solam & baculum se-
nectutis meæ. Atqui ego, inquit adolescens, apud vos mane-
bo, vestram vitam post hac vixurus; & cum dicto, splendorem
vestium abiecit, & cum senis centone commutauit. Tunc, in-
quit S. Damascenus, ille senex in multis tentans eum, & varie
ipsius examinans cogitationem, postquam cognouit firmam mentis
illius stabilitatem, & quia non amore insipientie detentus petiit eius
filiam, sed pietatis amore elegit pauperime vivere, hanc præponens
sua gloria & nobilitati; tenens eum manu introduxit in suum cubi-
culum, & ostendit ei diuisias multas ibi repositas, & immensum pon-
duis

328 Cap. XXVI. Prudentia Dei, in Matrimonij contrahendus
dus pecuniarum, quantum non viderat aliquando iuuenis ille, & ad
adeum: Fili haec omnia tibi dabo, eo quod elegisti mea fieri heres sub
stantia. Quam tenens hereditatem ille omnes supergressus est gloria
sos terre & diuitiae. Hac S. Damascenus, loquens in parabolis.

IV.

S. Ambros.
I. 5. Hexam.
c. 7.

Lue. 12. 31.

V.
Io. Moscus
Eurat. in
Prat. Spir.
cap. 201.

Recte homines sapientes, in coniugialia fædera condi-
tionibus veniunt antè quæsitis, sed conditionibus bonis, &
& bona norma. Optima hic norma est coniugum eligendari,
quos non debent diuitiae, sed virtutes conciliare; non dissoci-
re paupertas, non excludere generis obscuritas; satis locuples
est, quæ Deum habet. Nihil ditius est pietate: nihil vero ame-
re constantius. Itaque simus astuti, ait S. Ambrosius, circa qua-
renda & seruanda coniugia, diligamus tributa nobis consortia. Ei-
js, qui longinquis fuerant ortus sui tempore regionibus separati, inter-
se connuerint: et si vir ad peregrina contenderit, nulla longinquum
nulla absentia complacitam minuat charitatem. Eadem lex pres-
tes absentesq; connectit. Idem naturæ vinculum inter distantes
consistentes coniugalis charitatis iura constringit. Eodem iugobu-
dictionis utriusque colla sociantur, etiam si alter obeat separatarum
regionum longa diuertia: quia non corporis cernice, sed mentis in-
gum gratia acceperunt. Itaque neque pecunia debet esse vincu-
lum coniunctionis; quod apud illos esse solet, qui idcirco via-
rem ducunt, quia tuſit, & licet vetula sit, rugas tamen mar-
pio compensat, luridoque pallore promittit, se breui mori-
ram. Quam longè felicius matrimonij ditescunt, qui non
nummos, sed honestatem vitæ in sponsa intuentur? & Deo fu-
dunt, atque in primis regnum calorum querunt: cetera enim illi
insuper adiiciuntur. Quod Dominus in alio quoque sponso de-
monstrauit. Nam de viro Constantinopolitano nobilissimo
hæc legimus, in probato authore, docente vxoris vsu capio-
nem.

Narravit quidam Patronum dicens: Ascendi aliquando Con-
stantinopolim, cuiusdam necessitatis gratia, cumq; in Ecclesia sede-
rem, ingressus est quidam secularis maxime illustris, atque fideliſſi-
mus, is eum appexisset me accedens salutavit cum omni charitati of-
ficio. Et, post salutationem, sedit iuxta me, & caput interrogare de
his, quæ pertinent ad animæ salutem. Cumq; ego illi dicerem, quid
hæc

bis, qui rite terrena disponunt, caelestia quoque donantur: bene, inquit, pater dixisti, nam verè *beatus* est, qui spem suam in DEVM ponit, & se ipsum totum committit DEO. Et dicebat: *Ego filius fui, cuiusdam secularis gloria clarissimi, erat autem ipse pater meus electus, maxime deditus, & plurima pauperibus distribuebat, die ergo quodam, vocauit me, & ostendit mihi omnes pecunias dicens: Fili quid tibi gratias est, ut dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placeret mihi, que faciebat, respondi, me Christum malle, ista enim omnia prateverunt, & hodie sunt, & cras non erunt. Christus autem manet in aeternum.* Quid ille cum audisset, omnia jam libere & larga manu pauperibus erogabat, ita ut moriens pauca admodum mihi relinquiceret, ego autem iam pauper effectus humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam dives valde & primarius habens uxorem fidem Christo, & timentem Dominum, habebat autem & filiam unicam; dixit ergo illa viro suo, hanc solam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus est DEVS, cuius ergo rei indiget? si quaesierimus dare illam alicui primario, & disiuti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper; queramus illi virum humilem & timentem Dominum, qui secundum Deum eam diligat, & foueat. Qui dicit illi: recte dixisti, perge ergo in Ecclesiam, & ora intentissime, atq[ue] illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur, ut iusserrat vir eius. Cumq[ue] orasset, & federet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa sernum suum, continuo accersuit me, capitulo interrogare dicens: Vnde es? Ego autem dixi illi, ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autem mihi: illius eleemosynarij? & dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: habes uxorem? & dixi: Non. Narrauiq[ue] illi, qua mibi dixerat pater meus, & qua ego responderam ipsi. Illa vero glorificans Deum ait. Ecce bonus curator tuus misit tibi uxorem, & pecunias, ut utaris utrisq[ue] cum timore Dei, deditq[ue] mihi filiam suam, & pecunias. Ego autem oro, ut patris mei viam usq[ue] in finem teneam.

Hac via itur ad opes, si possint contemni opes. Sic felicia contrahuntur coniugia, si in uxore aut sponso, non crumenta, sed virtus veniat in censem. Per deuia erga fortunam querunt, qui, dummodo nummos odorentur, nihil pensi habent, sine

Tt

vxor

V.I.

330 Cap. XXVI. Providentia Dei, in Matrimonij contrahendit
vxor Catholica, an Lutherana, Christiana, an Saracena, &
Hebreæ. Si multum æris habet, sufficit istis; non opus est, vi
multum habeat religionis. Argentum pluris aestimatur,
quam fides: auro vitia omnia teguntur, & pulchra sit ipsa tur-
pitudo. Nempe ita demum, in matrimonium, per eoemtio-
nem conuenitur. Coemptio enim est, ait Seruius, ubi libra aque
as adhibetur; & mulier atque vir in se quasi emtionem faciunt, si
non sic vult Deus: Vnde scriptura dicit tibi: ait S. Ambrosius,
Ne accipias uxorem de filiabus Chananaorum. Sed vade in Msi.
potamiam in domum Bathuelis: id est, in domum sapientie, & tu
ibi acquire copulam. Mesopotamia autem regio est, in paribus
Orientis, que duobus maximis, per ea locorum Euphrate & Tigris
fluminibus circumuenitur, quibus origo est in Armenia locis. Influit
autem diverso meatus in mare rubrum. Et ideo Mesopotamia nomi-
ne signatur figura Ecclesie, qua maximis fluentiorum prudentie tradi-
guis atque insitiae secundat mentes fidelium, quibus sacri baptismus
cuius typus precessit in mari rubro, infundit gratiam, culpamq; abluit.
Doce ergo plebem, ut non ex alienigenis, sed ex dominis Christianis
coniugij queratur copula. Hæc S. Pater. Quod de religione non
posthabenda dicitur, dici etiam debet de ceteris virtutibus, quæ
vtique omni thesauro sunt pretiosiores. Quod vel Ethnici
censuerunt. Vnum dabo, pro mille. Quippe

VII.
Luc. Apul in
Florid.

Hec atque hoc genus alia partim cum audiret à Diogene Crates, alia sibimet ipse suggereret, denique in forum exilit; rem familiarem abicuit, velut omnis stercoreis, magis laboris, quam usui. Deinde, certu facto maximo, exclamat: Crates Cratetē manumittit. Ex-
inde non modo solus, verum nudus & liber omnium, quoad vixit,
beatè vixit. Adeoq; is cupiebatur, ut virgo nobilis, spretis iuniorum
ac ditionibus procis, ultro eum sibi optauerit. Cumq; inter scapulam
Crates retexisset, quod erat aucto gibbere, per amq; cum baculo &
pallium humi posuisset, eamq; supellestilem sibi esse, puella profiteretur,
eamq; formam, quam viderat: proinde sedulo consideraret, ne post qua-
rele caussam caperet. Enimvero Hipparche conditionem accipit.
Iam dudum sibi promisum satis, & satis consultum, respondit: nequ
ditionem maritum, neque formosiorum uspiam gentium posse innueni-
re, proinde diceret, quo liberet. Quis non videat, eiusmodi
matrimoniū

matrimonium fuisse felicissimum? Nam in illud forma, diuitiae, nobilitas, &c, quod præcipuum est, virtutes confluxerunt. Per has enim cetera bona condiduntur; sine his, sunt superbizæ, rixarum & mille malorum instrumenta. Satis de ceteris prospicit Deus illis, qui viri utem in ultimis non habent, dum nuptias moliuntur, neque tam hominum, quam Dei conciliacione, vxores querunt; & potius educationem bonam, moresque probos ac commodos, quam genus, crumenam, & vultum spectant. Qua de causa Pulcheria sapientissima herois fratri suo Theodosio Imperatori Eudoxiam pauperem, sed insigniter eruditam, & pulchremoratam vxorem procurauit. Talis coniux domum Dei est: *Domus & dinitie dantur à parentibus: à Domino autem proprie uxori prudens, immo & diues, si diues prosit.*

*ai. iacob. 2
Prou. 19. 14.*

VIII.

Italicus author, sive Poëtica licentia, sive fide historica, scribit; quod, tanquam falsum damnare, audacins est, quam narrare vti traditur; valde enim & verosimile est, & idoneum ad laudes diuinæ prouidentiæ commendandas. Memorat igitur, duas, in Italia arces fuisse, in amoenis collibus, sitas, loco vicinas, sed à diversis incolis possessas. In una harum prænobilis femina degebat, quæ *Vicanam* habuit fortunam & obsequientem, & quam *Græci* *divites riχνν*, fortem & virilem solent nominare. Erat illi ætas florida, valetudo vegeta, venustas ambitione digna, opes immenses. Sed, ne nimis beata esset, mors illi iuuenem maritum subduxit; ex eo tamen filium biennem reliquit. In altera arce, *lana numina*, & *mala fortuna* videbatur habitare, Inopia, & Egestas; sed eam tenebat optimæ stirpis, & electæ virtutis homo. Hic, suo bono, existimans *Orbonam* in alteram arcem immigrasse, coepit cogitare de nuptijs inde sibi procurandis; facileque putabat, quod sibi, in diuitijs, deesset, idviridi iumentute compensari, & viduam mascula prole comitatam, satisque ab opibus instructam, nullo negotio, in matrimonium consensuram. *O quoties miseres spes fallit amantes!* Nihil ille officiorum omisit. Prepsauit cognatos: comitate verborum omni deliniuit famulos eius: nulli non ad illam tendenti salutatiunculam imposuit: quin & minuscula, quantumvis tenuia, tamen, vel defraudato Genio,

T. 2

auctiora

auctiora missitavit. Dedit etiam operam, ut quoties illa in campum procederet, velut casu obuius, ad currum adequaret; vna venatum, vna cænatum iret, si illa foris, atque apud consanguineos conuiuijs interesset. Ibi omnis generis illi banitates exhibebat. Denique Diana ipsam, aut Lucinam nemoreensem non magis coluisse. Et, quia amor insanos facit, non solum in illius honores, tanquam quidam *criuitus Ipol*, saepe cithara personabat aurata, ut cantu eam demulceret; sed etiam non dignatus est facere, quod illi fecerunt olim, qui solebant.

Prudent, in
Apoth.

4114

Martian. Ca-
pell. lib. 1. &
S. Aug. lib. 7.
de ciuit. c. 3.

Cic. pro
Client.

Hæc omnia quorsum fierent, non ignorauit iuuenis vidua, sed ut est hoc hominum genus superbum, quanto affectuus ambebat, tantò fastuosiùs procum fastidiebat; hac ipsa foras de causa, in diuinis oculis, repudio dignum. Nihil, o juvenes, nugæ vestræ, nihil insaniz proficiunt: si corinubia felicia quereritis, Deo duce, querite; Iuno Iterduca, seu Domiduca, nomen est, non Numen. Igisur & huic proco nihil profuit elegantijs aulicis vti. Nam & cum honestos proceres ad viduam legasset, qui, suo nomine, illam peterent vxorem, multis ei argumentis refutatos remisit. Nimirum nondum se, in eundem de secundis votis, cogitasse, nimis adhuc recendeat esse memoriam prioris, unde aquaque charissimi mariti, à quo vniue sibi amatam prolem nolit obijcere vitrici iniurijs; probè enim sibi constare, quibus modis tractari consueuerint liberi à parentibus alienis: nolle se *nubere infamília luctum*, atque in prisi gnorum funus: uno verbo, stolidum esse, pauperem eligere, cum tot sint opulenti, quorum liberrimam habeat optionem. Hoc aculeato responso reduces legati, procum confoderunt: qui spe sua deiectus, diu deliberauit, an solus cælibem agere vitam, in tristitia vellet. Ita tamē se tandem ipsum allocutus est, *Quid incipies, infelix homo?* Inopem uxorem neque tu alere poteris, neque illa te, diuites te contemnunt; quæ loculos loculis æquari volunt. In cassum me demisi, ad tot lenocinias. Omnes blanditiae, omnes amatones frustra fuerunt. Me ve cordem

cordem fecit Dea Verticordia; illam non illaqueauit. Ut insaniui! vt arsi! vt perij! vt me malus abstulit error! Quid agis, anime? cur è fluctibus his non erigis caput? cur ad portum non respicis? cur ad verum Numen non recurris? Pacem posce, veniam precare, audiet preces. A Domino petenda est, à quo datur vxor. Ille si bene sponsis bene voluerit, veniet vxor ultra: sin aliud volet; volo & ego illud. Dixit, & ab omni tumultu pectoris illico quieuit; mansitque, septem totis annis, non modò sine coniuge, verùm etiam sine omni muliere; foris fese, per nemora solans venando; domi, quidquid a familia contractissimæ negotijs illi superfuit, Deo transcribens, diuinis precibus occupatus. At neque vidua interim nupsit; vel quod illi nullus orationis placeret, vel quod spem amoremque totum in filio suo consumeret. Nempe, *Omnis in Ascanio cura parentis erat.* Nonum itaque attigerat annum, atque vt ea artas vagabunda, nunc huc, nunc illuc excurrit; aliquoties etiam ad vicinam arcem expatiatus, eum ipsum Nobilem permisus est inuisere, quem mater eius à nuptijs reiecerat. Habebat autem Nobilis accipitrem, insignem ad passeris aliasq; minorum gentium volucres capiendas auem; assuetam, ad nutum gestantis, in prædam inuolare, atque ad quamcunque reuocantis vocem reuolare ad manum. Eo accipitre (quia aliud inopia oblectamenti genus illi nihil reliquum fecerat) solebat ad se venienti puero delicias exhibere. Siquidem, vt erat generosæ indolis adolescens, summopere capiebatur, aibus venandis. Et videbatur ipse accipiter puero allubescere, de cuius manu iecinoratoties carpebat. Ita, inter puerum, & auem contracta est amica familiaritas. Cupida est hæc ætas; &, quidquid cupit, cupit vehementer. Quamobrem magno cœpit puer ausi potius accendi desiderio. Sed, vt erat ad omnem verecundiam educatus, non audebat cupiditatem suam expromere. Ut incendia, sic & desideria pressa magis exæstuant; quod & in hoc euenit adolescenti. Quod diutiüs affectum dissimulabat, eò amplius flagravit; itaque cœpit perdite ardere, vt colorem mutaret, & macie extenuari inciperet; ac tandem, affectu inualecente, decumberet. Vocati medici, nullum morbi fontem de-

prehendere potuerunt. Et puer in dies deficiebat. Deplorans videbatur; cum mater ad filium sola, atque remotis arbitris, ingressa lachrymis & singultibus moerorem testata, etiam atque etiam rogauit, ut ediceret, quænam tanti mali causa qua origo esset? nihil se non facturam, quo ei remedium afferri posset. Ibi, interrupta gemitibus voce, *Dñe*, inquietatus, *Ius*, *define mea charissima mater; actum est de vita mea. Quidcupio sperare non possum. Et, quia desperare cogor, morior. Attonita hoc responso parens, *Expromte*, aiebat, *mi fili, quid cupias; nihil tibi denegabitur, quidquid concedi potest. Nisi sumui, nullus vori parcam. Tu mihi pro omni thesauro, tu pro vita mea eris. Nihil inconsultum, nihil intentatum relinquam.**

Et, ut confido, mihi firmabit Deus. Animatus hac promissione filius; Nobilis, inquietatus, vicinus noster, accipitrem domi habet; ad venandum usus egregie eruditum & auncupanti, ad miraculum, obedientem. Eum habendi desiderio occidor. Nulla enim spes est, ut auem, quoniam illibaldo chariorem, puero donet. Audijt mater, & expalluit; nam & illi spes nulla fuit auis adipiscenda. Quid enim, cogitabat, num delicias suas unicas a se abdicabit? & vero mibi dabit; a qua contemptum meninat? & dabit, ut puer habeat illius maris, qui illum, tot modis officiosum noluit habere? Enim uero gaudebit, & si ipsi plaudet, tempus venisse, quo se acerbissimo simul, simulq; nullam sceleris speciem habente vindictæ genere posse refrigerare. Adderat, rasse & dicta, repulsamq; sarcasmis aculeabit. Sed addat; cachinni me, immo & plagi excipiatur. Vtique non occidet venientem; qui filium non excludit. Non hoc mibi toties laudata illius virtus promittit: de femina vir non volet triumphare. Igitur bono animo esto, fili; dicebat, ibo, & auncupem ipsum auncupabor. Tunc Deus, da diem hunc festipitem, annue, fac, ut gratias meas sanem. Sic fata itineris edocet, unica puella comitante. Brevis erat via: citè peruenit, quo tendebat. Miratus Nobilis hospitem nouam, quam nunquam, in arce sua, viderat; omisis reliquis rebus omnibus, decurrit ad eam, quam benevolentissime salutandam. Illagratiam maiorem captatura, aduentus sui caussam censuit initio regendam. Quare varijs ambagibus usa, prandere se cum illo velle significauit. Quod ille magni honoris loco accipiens, etiam

etiam se inter beneficia professus est numeraturum: vnicum illud excusans, tractari à se eam, pro dignitate, non posse, angustijs temporis & facultatum circumscriptum; neque verò se vnquam aliás paupertatis iniuriam, quam tunc sensisse grauitem. Ergo dum quærit omnia, nihil inuenit; ac nisi ab ingenio consilium petisset, impransam erat dimissurus. Accumbitur, & conuiuum celebratur, quale olim Ioui Philemoa & Baucis fertur struxisse. Nulla ibi argentea aureaue supellex. Sella nulla. Nulli tapetes. Neque vllus fereulorum apparatus. Iuscum; caro fumo durata; &c, quod caput erat, avis vntica, ea-
que non admodum magna, pipere condita, & pane in artoptā
tosto circummenita, totam pompam faciebant. Inter hæc ipsa
tamen vultus bonus conuiuatoris & scita comitas, sermonesq;
incundi epulas inprimis exhilarauerunt. Quæ ut non copiosæ,
ita citò sunt absumentæ. Remotis mensis, jam confidentior matrona, seductum ad fenestram Nobilem, in hunc modum compellat: *Hanc ignoro, Domine, audacia magne me ream esse, ut que
buc venerim, quod nunquam promerui, petitura. Sed me filij amor
adigit tentare, quod si negetur, conqueri non possum; si impetravero,
filio meo, vitam impetrabo.* Præfatione hac audita, miratur Nobilis, aliquid in domo sua superesse, quod matrona tam diues & alioquin ad preces non admodum promta, petere à se vellet. Iubet eam edicere; atque, excusationibus omissis, declarare, quid optet, nihil se ei negaturum. Ad quæ mox illa: *Accipitrem, inquit, habes, cuius acquirendi tanta cupiditate filius meu
uritur, ut, nisi obtineat, mærore sit conficiendus. Iam enim panè ad
extrema deuenit. Vixq; tandem ab eo diu mibi calatam agritudinis
caussam expreſſi. Domi igitur numerat singula temporis momenta
donec redeam; solaq; afferende sibi avis spe animam sustentat fugientem.* Hanc ergo, si donas, vitam filio meo, immo & mihi donas. In tua est potestate, duos occidere, si negas. Expauit ad hæc verba Nobilis, & caput hoc atque illuc versans, coepit indignantissimo similis esse. Quo vultu & matronam terruit, arbitrantem, sua petitione tantopere offendit Nobilem; neque aliud quidquam expectabat, quam ut facessere, aut etiam in malam rem, cum suo puerō, ire iuberetur. Sed longè aliud audiuit. Post-

quam

quam enim aliquamdiu silens nunc caput scalpsit, nunc pectus pugnis percussit arcis Dominus : *Hei mihi, dixit, quid fecisti, Domina, ut tam die postulata differres? cur non, in prima salutatu, ne, aduentus tui caussam mihi indicasti?* sero petis, quod non est amplius in potestate mea. *Quam ego libens tibi, longeque libentius milie charissimam ac vere pretiosam auem vivam, quam occisam tradidi.* sem: Nunc autem feres quidem, ad filium tuum, tecum auem, quam a me flagitasti, sed in visceribus tuis feres. *Siquidem, cum alind in domo mea nihil esset, insi vel accipitrem occidi, & quam apparatu mè condiri, tibiq; apponi.* Itaque

Ouid lib. 6.
Metaph.

Intus habes, quod poscis, ait;
ac, ne fruolam hanc, aut fictam à me putes excusationem, u
pennas anis, & cocum testem! Vidilles attonitam facto hoc ma-

tronam, qua modò lachrymans suam infelicitatem accusabu-

Et modo, si posset, reserato pectore, diras

Egerere inde dapes, emersaq; viscera gestit.

ac Mænadi similis, inde se domum proripit, tristique nuncio lium semianimum penitus exanimat. Quo orbata, cum luctu nondum eluxisset, altius cogitando in se descendens, caussam inquisuit, ob quam iustissimus Deus, non solum marito se viduari voluerit ante id hac, verum etiam nunc dulcissimo filio priuârit. Venit illi in mentem superbia ac fastus, quo prædictum Nobilem, ante septem annos, de moribus adeò laudatum, ob solam inopiam, repudiârat. *Et quam vere laudandum est in-*

quiebat, quamq; merito à me non contemnendus; qui non solùm

me spretus, nullius vindictæ memor, tanta me humanitate accepit?

qui non solùm auem liberalissime erat donaturus; sed etiam, eadem,

qua nihil habebat charius, cum cetera inopi deessent, mihi præbere vul-

luit epulandam? Et rursum, postquam audiebat, eam a me viuam-

flagitari, quam expalluit? quam eum pœnituit, non posse occisa vi-

tam reddi? Vere talis vir non fuit contemnendus. auro caret, sed

non caret aurea charitate; cuius mores, quacunq; femina non pluris

facit, quam opes, carnifice digna est marito. Dixit, & Nobilem,

jam ipsa ultro missis legatis, in matrimonium petiuit; ac de-

inceps, & filij, & mariti loco habuit. Ita dicuntur postea hi

duo coniuges concordiam coluisse, ut exemplum essent bono-

rum

rum coniugiorum. Neque sanè melior est ratio, aut qua viri sponsas trahant, aut qua sponsos eligant feminæ; quām de iudicio virtutis. Quod si opes magis spectent, quām virtutem, Lesso digniores sunt, quām Thalassione.

Hoc ita esse, confirmant exempla, quibus eiuscmodi sponsæ promissionem suam violantes, &c, insita quadam animi leuitate, à nuptijs ineundis refilientes, diuinitus punitæ leguntur. Diues quædam puella, in Saxonia, capta amore adolescentis, ab opibus parum instructi, sed fortè, ut Crates ille, patrimonium omne in cerebro ingenioque habentis, matrimonium ei promisit. Promissionem, ne dissidentia locus esset, hoc juramento firmauit: *Vt, si cui alteri annulum daret, nuberetur, ipso die Nuptiarum, à cacodamone vina, ad Inferos, aportaretur.* Quæ igitur solet esse constantia in puellis male educatis, etiam apud illam fuit. Citò aliis ei placuit. Citò ei in manum conuenit, coniugiumque spopondit, paupere repudiato, & plorare iussio, frustraque illud repetente: *Mopsö Nisa datur.* Fit apparatus, inuitantur amici, celebrantur & epulae, & nuptiæ, omnia gaudij feruent. Quibus ne quid desit, remotis mensis, etiam instituuntur choreæ, cantatur, saltatur, clamatur, nec à paucis ridetur riualis, spē nuptiarum delusus. Dum omnia lœtissimè & festiūssimè fiunt, adsunt duo, qui, habitu nobilium, in conchyliata vestie, domum ingrediuntur; ascendunt ad locum chorearum. Nec diu spectant saltantes, saltant & ipsi. Vnus, velut honoris causa, sponsam inuitat ultro allubescensem; quam cùm semel iterumque in chorea bellissimè circumduxisset, repellit è domo, & conspectu omnium asportauit. Quæ nulquam postea comparuit. Tales sponsas, tales decent paronymphi. Quām verè tunc dici potuit: *Rifus dolore miscebitur, & extrema gaudi lucretus occupat?* Et quid aliud sperari potest, si tales, ex Orco, hospites, ad nuptias inuitantur? aut si usurpetur ea coniugibus benedicendi formula, quam vel seriò, vel per iconum docuit Prædicans hæreticus usurpandam? Hie steth Lieb gegen Lieb: Sie ist ein Schnur/ und er ein Dieb. So gib ich euch zusammen; In aller Teuffel namen. Id est,

IX.
Martin. Delr.
libr. 3. disq.
Mag. p. 1. q. 7.
sext. 1.

Prou. 14.13.

Vu

Hic

Hic stat amans, & amans; furvus, & altera scortum:
Coniugium, his sponsis, dæmon felicitet, ortum.

C A P V T. XXVII.

Cura Dei, in Matrimonij etiam conseruandis, divine
scripture, exemplis patefit.

L.

 Voniam Non minor est virtus, quam querere, partatu-
ri, & què Deus inuigilat, vt matrimonia consérueat,
vt constituat. Quid prodest figulo, limum efformare
in vrceum, & mox iterum frangere,? Cùm ergo constiterit, su-
prenum Mundū Gubernatorem, non minùs attendere coniu-
gijs conseruandis, quam inchoandis, nihil accusari poterit eis
bonitas, si hominum vitio quedam matrimonia malè diffun-
tur, aut ærumnis miserè corrumpuntur. Ad matrimonia igitur
firmanda, non dominium modò rectè est ordinatum, sed mula
etiam alia luculentè sunt facta. Eua, postquam & ipsa præ-
dicata est, & maritum secum traxit in peccatum, non legitur
quidem vñquam cum Adamo litigauisse, legitur tamen audi-
uisse: Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore pa-
ries filios, & sub viri potestate eris (quae est molestissima femine
superbiæ poena). & ipse dominabitur tui, quia virum seduxisti;
mala duætrix, ac proinde ducenda potius, quam ducitura. Hinc
meritò vir vxorem, non vxor virum ducere dicitur. Nam hic
vir accepit potestatem, vxorem coercendi & puniendi. Secun-
dum Romanas etiam leges, licet gentiles, adeò vxor, sub viri
potestate erat, vt non licuerit ei condere testamentum, sine viri
auctoritate: & quia sub viri erat manu, capite diminuta dice-
batur. Hæc ipsa subiectio vxoris, & dominatus viri sive insus,
moderatus & ex lege, etiam naturæ ortus; sive imperiosus &
tyrannicus, ac præter naturam, semper feminæ molestus &
poena peccati est; ex eo tamen duplex utilitas nascitur. Nam
sic vxor peccatum luit & commune illud, & priuatum ac per-
sonale; ac insuper velut fræno quodam coercetur. Docte ille:
Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec iude-
care: quanto magis non potest, aut non debet imperare? Ut ergo
matte

Gen. 3.16.